

ὁ δὲ μετῆς εἰς ἐν εἶς, n) quae quidem verba Hieronymus, quum aptum sensum suppeditarent, latine reddere non dubitavit. Attamen contra constantem tot Codicum auctoritatem, quos nostra tempora vident collatos, lectio vulgaris eo minus est sollicitanda, quo improbabilius est, εἰς in ἐνὸς esse mutatum, siue consulto, siue per negligentiam, quum nemini in mentem venire potuerit, lectioni faciliori difficiliorem substituere, neque per festinationem literae tam facile adiciantur, quam omittantur.

CAP. II.

*Variarum, quas locus noster expertus est, interpretationum enarratio.*

Vera loci difficillimi lectione constituta, dispiciamus ea, quae Viri eruditi omni fere aetate ad hunc locum illustrandum contulerint, o)

n) neque mirum, si ex ENC lineis quibusdam oblitteratis, ortum est EIC. Solet enim in iis codicibus, qui literis uncialibus exarati sunt, si deest spatium satis magnum, in versus alicuius fine syllaba ος ita scribi, ut ο minoris formae imponatur literae C, id quod se nuper demum in Codice quodam Augustano reperisse, mihi testatus est Matthaei, cuius disciplinae non minora debeo, quam eius studio, commodandi literarum amantibus. Ceterum licet illa huius literae forma rotunda C recentior sit vulgari Σ, ea tamen iam inuenitur sec. II. in inscriptione, Ancyrae eruta, quam reperies in Montefalconii Palaeographia graeca, pag. 158. atque adeo in nummis, Augusti tempore effictis, vid. Montefalc. l. I. pag. 153.

o) Exantlato iam labore, caedii pleno, qui mihi subeundus erat in hoc cap. conscribendo, quum comperissem, Bonitzium in libro, cui haec est inscriptio: plurimorum de loco Pauli, Gal. 3, 26. Tententiae examinatae nouaque eius interpretatio tentata (Lipl. 1800), omnes fere, quotquot unquam prolatae essent, huius loci explicationes congestisse, me operam, huic rei impensam, perdidisse, arbitrabar. Inspiciens vero opus ipsum non exiguum, inueni, nonnullas certe, licet paucas, in eo praetermissas esse interpretationes, memoratu dignas, quae mihi innotuerint, ordinem praeterea, quem secutus sit, non inseruire penitus perspiciendae historiae de huius loci interpretatione,